DE RHACHITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS CLEMENTIS ORSETTI...

Clemente Orsetti



DE

RHACHITIDE

Dissertatio Inauguralis

CLEMENTIS ORSETTI

PARENTINI



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII



Denominatio et Definitio morbi.

Rhachitis (a graeco nomine ῥάχις, spina dorsi) proxime designat morbum, qui principalem suum impetum dirigit in spinam dorsalem.

Est morbus reproductionis qualitative vitiatae, qui in deficiente musculorum, ligamentorum, cartilaginum ossiumque nutritione consistit, cum abnormi harum partium mollitie (quae dependet vel a minori calcis vel a majori glutinis copia) incedit, simulque functiones horum organorum varia ratione pessundatas exhibet.

Divisio Rhachitidis.

Dividunt rhachitidem in hereditariam, congenitam, acquisitam et endemicam. Diversam autem offert imaginem, a gradu et tempore quo durat repetendam.

Plurimi auctores eam dividunt in perfectam et imperfectam; haec tanquam exordium morbi consideranda, illa syndromen symptomatum rhachitidi convenientium complectitur.

Stoll eam dividit respectu epidemiae annuae, cui rhachitidem subjectam habuit.

Galenus autem in simplicem, absque alio vitio incedentem et complicatam.

Hypotyposis.

Rhachitidis definitione jam prius data, fusiori nunc hujus morbi descriptione adhuc opus erit.

Una cum prima dentitione hic morbus plerumque apparet, rarissime ante nonum aetatis, vix unquam post biennium vitae; bino neonatos et triennium emensos non adeo petere visus et adultis rarissime infestus. Observantur quidem saepius et in adultis fragilitas et mollities ossium, sed hae scaturiunt ex aliis momentis causalibus, ac quae rhachitidem producunt.

Quum autem tempus apparitionis et decursus rhachitidis coincidat cum tempore evolutionis ossium, cartilaginum, ligamentorum et musculorum, inficias ire non possumus, magnas in functione harum partium turbas, omni jure illi contribui.

Pusiones, hoc morbo laborantes, proprio habitu, rhachitico dicto, sunt notati; fiunt somnolenti et morosi; caput pergrande, ac si hydrocephalus adesset, cum suturis serius uniendis, facie pusilla, pallida. Dentes multis cum difficultatibus erumpunt, brevissime nigrescunt,

eroduntur, marcescunt, excidunt. Oculi nunc minus sereni dilatant pupillas, et caeruleis annulis tumidisque saepe palpebris sepiuntur. Appetitus modo depressus, modo illaesus, modo in voracitatem versus; halitus foetet, lingua spurcatur, et frequentes sunt ructus et materiae, ut plurimum acidae, vomitus.

Vasa capitis solito capaciora pro signo pathognomico hujus morbi habetur. Collum tenue, marcidum, quo fit ut caput ipsum nonnisi difficulter erectum servetur, quoniam musculi marcidi flaccidique non sufficiant ad sustentandum tantum pondus, sed caput potius in unum alterumve latus, antrorsum vel retrorsum versus inclinet. Thorax quoad figuram magnopere vitiatur, evanescit clavicularum et costarum arcus naturalis, pectus in regione sterni elevatur, in lateribus e contra compressum reperitur atque angustatum. Glandula thymus incrassata; oritur dyspnoea una cum aliis respirationis difficultatibus. Abdomen interdum valde extensum, quod non a repletione intestinorum sed ab emphraxi hepatis et lienis dependet. Alvus mox tarda, mox diarrhoica. Urinae mucosae, turbidae, majori copia calcis phosphoricae acidae impraegnatae. Cutis turgore spoliatur, flaccescit, rugat (facies senilis) et sudore continuo madet. Plicas autem, in quas rugat, praecipue debet musculis ipsi substratis, qui, omni pinguedine orbati, summopere marcidi et relaxati nec non impotentes repe-

riuntur. Clara denique morbi imago habetur ex systematis ossei symptomatibus, forma mutati et mixtione, quarum quaevis, hac praevalente mollitie, diversis in partibus diversimode manifestatur. De dentium mutationibus jam loquuti sumus. In extremitatibus autem emollita ossium capitula tumescunt et crassiora fiunt, ita ut ignaris duplicia compareant et facile sponte luxentur. Dolor est exiguus, cutis ambiens sani adhucdum coloris; hancque mutationem primo atque intensissime patiuntur epiphyses ossium extremitatum superiorum et inferiorum; dein autem et articulationes reliquorum ossium cylindricorum in compassionem trahuntur. Sed morbus hic non solum epiphyses, sed et corpus horum ossium adgreditur, quod nunc extenuatur et elongatur, nunc intumescit pariter ut ganglia aemulet, mollescit et abbreviatur, diversas subiens curvaturas, ut varos et valgos inde derives oportet.

Pectoris structura etiam multifarie pessundatur et in quantam houce conferant claviculae et costae jam monuimus. Sed et columna vertebralis in compassionem trahitur, et modo brevior fit, ut grande caput inter scapulas subsideat, modo antrorsum flectitur (lordosis) modo retrorsum (kyphosis) modo in latera (scoliosis).

Facile nunc patet sub his circumstantiis diversas functionum laesiones, artuum stupores et paralyses oriri.

Ossa innominata pariter vario modo quoad formam et structuram olienantur, unde pelvis fit angusta, quae in feminis partus reddit difficiles vel impossibiles. Quum inspiciuntur ossa, apparent gelatinosa et pressioni facile cedunt.

Ingressus infantum rhachiticorum semper summe vacillans reperitur, et si ante morbum exortum ingrediendi adhuc impar fuerit infans, hanc etiam functionem non prius incipit nisi morbo sublato; infans autem, qui ante morbum bene ingrediebatur, amittit hanc facultatem morbo inchoante.

Quod mentis facultates adtinet, in aliis ad stupiditatem depressas (cretinismus), in multis ultra quam par est elatas esse referunt, ipsique plebeji tenellos quandoque prae sapientia non posse valere et adolescere in proverbio habent.

Complicationes.

Non facile datur morbus infantilis, quocum hucusque nondum complicata rhachitis observata fuisset; sed inter omnes hos morbo prae aliis socios sibi diligit scrofulam et helminthiasim, quorum dein praesentia ex symptomatibus, cuivis earum peculiariter convenientibus, facile dignoscitur.

Decursus.

Rhachitidis decursus est lentus, chronicus, per annos durat aeque cum anni temporibus

subit vicissitudines. Discrepant quidem auctores de duratione ejus, sed ex genuinis observationibus edocemur, eamdem nonquam ultra septimum vitae annum prolongari, nisi eam fors cum scrofula confundas; aut mutationes permanentes per morbum positas, cum morbo ipso aequiparare velis.

Exitus.

Rhachitis, ut quivis alius morbus, aut in sanitatem aut in mortem, aut in alios terminatur morbos. Rarius autem directo modo lethalis evadit, saepissime alii, in quos vertitur, morbi vitae insidias struunt. Hi morbi oriuntur, ex multifariis oeconomiae vitalis turbis, per rhachitiden positis, et quam maxime in sanguinis circuitu et respiratione diversimode laesis conspicuis, suntque praecipui: hydrocephalos, asthma, inflammatio pulmonum, horumque indurationes et exulcerationes, hydrothorax, paralyses etc.

Necroscopia.

In cadaveribus rhachitide peremptorum saltius rigor tardius aut nonquam insequitur, sanguis tenuis non abit in coagulum, cruoris quantitas minor, et calor diu servatur. Laxitas musculorum est insignis. Ossium, praeter deformitatem et flexibilitatem, mollities adeo in-

signis, ut cultro scindi possint. Chemici in ossibus detexerunt calcis phosphoricae inopiam cum glotinis abondantia. Vasa venosa, praecipue meningum (cranio aperto), turgidiora, ipsum cerebrum, nunc mollius, nunc sero inundatum deprehenditur. Glandulae lymphaticae totius corporis praecipue autem mesenterii sunt tumidae, induratae. Etiam in cavo pectoris multa inveniuntur abnormia, pleura pulmonibus accreta, liquo materia viscida infarcti, scirrhosi, ulcerosi, nodosi, pure, sero aut sanguine stagnati. In abdomine: hepar, pancreas, lien, vomine aucta et consistentiae solidioris. Secreta bilis pallidior et aquosa observatur. Intestina flatibus distensa, saepe etiam colluvies mucosa vermibus habitata in iis deprehenditur.

Aetiologia et Nosogenia.

Momenta ad hunc morbum disponentia prae aliis sequentia:

1. Aetas tenerrima, infantilia, a prima dentitione usque ad annum secundum; et quidem ex ea causa, quod tono temporis partes corporis solidiores, ossa praecipue, cartilagines, ligamenta nec non musculi, nondum ad illum perfectionis gradum elatae, quo partes fluidae atque molles fruuntur, majorem quoque materiae nutrientis copiam sionulque exquisitiorem requirant, ut ad eundem perfectionis gradum extollantur. Quod si nunc haec non justa quan-

*

titate aut qualitate suppeditatur, accedentibus causis occasionalibus facillime oritur, de quo loquimur, morbus.

2. Hereditas, licet (secundum Richter) congenita rhachitis valde dubia est.

3. Partus praematurus.

4. Generatio a parentibus laxis, pastosis, decrepitis, aetate multum disparibus, phthisi, arthritide, syphilide, scrofula, vel quocumque alio morbo exhaustis.

Haec igitur forent causae rhachitidis disponentes.

Causa excitans autem hujus morbi quaelibet dici potest potentia, quae vitae plasticae opera, adsimilationem, chylificationem nec non et sanguificationem pessundare, et exinde nutritionem, quae imprimis respectu partium solidarum uberior requiritur, tum quantitative tum qualitative peccantem causare valet.

Pertinent ergo huc:

1. Prava nutrimentorum conditio

a. Nutrimenta tenacia, glutinosa, farinacea, pinguia, acescentia, tepida, aquosa, saccharata, leguminosa et solani tubera fatuo scatentia amylo.

b. Lac nunc maternum, nunc nutricis, nunc animalium nimis spissum, vel nimis tenue, vel alia adhuc ratione peccans.

2. Aëris conditio vitiata

Aër impurus, corruptus, frigidus, nebulosus, caloris nimius et lucis denegatus influxus pul-

monum et cutis muneribus plurimum obstant. Nam et pulmones suam symbolam conferunt ad rhachitidem generandam, minorem oxygenii copiam sanguini adducendo; quo fit ut idem minorem quoque vasis stimulum addat, et omnibus organismi partibus minorem materiae nutrientis copiam subministret, quam qua ad perfectam suam evolutionem et restaurationem indigent.

3. Immunditiea.

4. Morbi praegressi; impetigines praeprimis, nec non febres intermittentes, convulsiones, catarrhi diuturni, dysenteria, haemorrhagiae graviores, diarrhoea, abusus remediorum narcoticorum.

Omni jure autem causis rhachitidis excitantibus adnumerare adhuc fas est

5. Gestari infantes in uno eodemque semper latere, sedere continuo in uno eodemque loco, et praecocem tentare aut nimium exercere incessum, uti et ligationem corpusculi in truncum immobilem, uti rodissimae plebis mos est.

Circa naturam et causam proximam hujus morbi variae existunt opiniones, plurimaeque hypotheses. Sic nonnulli medici credunt causam proximam esse miasma; alii acrimoniam rhachiticam, secundum Selle indolis ignotae, secundum alios vero syphilidi anomalae similem, assumunt.

Cullen causam proximam posuit in defectum illius materiae, quae partes solidas constituere valet.

Juxta Soemmering opinionem rhachitis consistit in vita nimium incitata vasorum lymphaticorum.

Nos naturam hujus morbi quaerimus in nutritionis qualitative et quantitative peccantis defectu, atque ortum ejus explicamus e insufficienti in canali alimentari chylificatione, et minori sanguinis tum ope cutis, tum in pulmonibus oxydatione. Nam eminens rhachitidis character ea tantum propter in depravata musculorum, ligamentorum, cartilaginum atque ossium nutritione praecipue conspicuus est, quia teneriusculus pusionum organismus solidas has partes mollibus adhuc multo difficilius ad normam fovere et nutrire valet. Nihilominus autem etiam partes fluidae, lympha et sanguis similem earumdem conditionis errorem in hoc morbo participant.

Differentiae a morbis analogis.

Unicus tantummodo existit morbus, qui cum rhachitis commutari posset, nempe osteomalacia syphilitica, sed et hue, licet phaenomena plura amborum simillima, nonnulla tamen dantur essentialia osteomalaciae syphiliticae, quorum defectus omne de praesentia rhachitidis tollit dubium. Symptomata supradicta sunt: dolores atroces nocturni et tumorea magis circumscripti cranio, radio et tibia mediis. Porro osteomalaciam syphiliticam praecedit infectio; rhachitidem nullactenus. In prio-

ri mercurius primum remedium, quod tamen non tam constat in rhachitide, sicuti etiam in hac apophyses magis infestantur quam reliquae ossium partes.

Therapia.

Antequam medicus rhachitidis curam adgrediatur propriam, prudens, potentias nocentes ad rhachitidis genesim contribuentes, quantum viribus concessum, removere studeat. Iisdem enim praesentibus, sanatio frustra tentabitur, quum funestis suis effectibus omnem remediorum pervertant virtutem inanemque reddant, quum e contra, iisdem remotis, ipse morbus non raro sola vi medicatrice naturae sanetur.

Erit ergo prima indicatio: causas morbi amovendi, cui optime satisfit per diaetam naturae rhachitidis adaequatam.

Aër proinde sit purus, siccus, moderate calidus; vestitus minime angustus, siccus, calorcmque foveat, imo et lectus easdem habeat dotes; consistat nempe ex hypostromatibus seta equina confectis, situs sub motu horizontalis omni alii praefertor; matri commendandum ne infantulum uno eodemque semper circumferat brachio, sed modo dextero, modo sinistro; aetate provectiores vehantur in curru, motus concedantur liberi, exponantur infantes insolationi et foveantur arena calefacta. Summus raspe-

ctus habeatur munditiei, tandem et cultura mentis acquali passu cum restauratione valetudinis corporeae incidere debet. Quoad victum monendum, ut nonnisi alimentis utetur infans, quibus assimilandis par est, ita quidem ut primo aut mater aut sana nutrix ubera praebeat, donec et alius et quidem solidior concedi possit victus quem ex cibis animalibus potius depromet, evitando omnia acida, pinguia, leguminosa et glutine scatentia etc. potus optimus aqua, lac, juscula carnea, nec non aqua cum pauxillo vini remixta.

Haec sunt, quae diaetetica ad morbum annuodum conferunt; tantique haec certe momenti ut si iis naturae conatus, progrediente aetate, morbo limites ponendi adjuventur, saepissime felicissimus succedat eventus.

Causis demum remotis, therapia in eo consistit: ut qualitas prava reproductionis organicae emendetur et animalisatio, quatenus et haec imperfecte evoluta esse videtur, promoveatur, ut major fiat humorum transitus per vasa minima. Hinc omnia medicamina tum interna tum externa in usum vocanda veniunt, quibus vis inest partim actionem systematis lymphatici extollendi, partim vero stases et indurationes ejusdem amovendi. Digestionis autem officinam respiciens in rhachiticis medicus, majorem substantiarum a vita alienarum, quae stimulo suo peregrino non tantum digestionis, sed et reliquarum functionum turbas

producunt, quantitatem, modo majorem inve-nit copiam acidi in tubo intestinali, effectus non minus perniciosos exercentis.

Prinsquam igitur cura propria rhachitidis cum remediis supra laudatis inchoetur medicna, digestionis officinam ab his substantiis, omni vitae infensis, liberare tentans, alteram in finem ordinabit purgantia dum alterius remotionem absorbentibus efficere conabitur.

Inter purgantia eminent: rheum (syrupus cichorei cum rheo) senna (aqua laxativa, hydromel infantum, syrupus foliorum sennae) jalappa et aloë, si adest torpor intestinorum optime junguntur cum liquore terrae foliatae tartari, liquore cornu cervi succinato, tinctura corticum aurantiorum etc; praesente vero helmintbiasi, hydrargyrum muriaticum mite aliaque vermifuga in usum vocentur.

Inter absorbentia, simulque secretiones corrigentia eliguntur: magnesia usta et carbonica; liquor lixivae carbonicae et aqua; aqua calcarea carbonica, ex quibus priora cum purgantibus supra enumeratis lubentissime conjunguntur.

Secunda igitur indicatio erit: cujuscumque generis sordes et acida, sive sint morbi praegressi reliquiae sive praesentis effectus, primitus et sub alio quocumque tractamine regenerata, novitus pellendi et destruendi. Causis demum morbum producentibus remotis, sordibusque nec non acido eliminatis, tertia respi-

cienda venit indicatio: in productionem nempe organicam eminenter agendo, simulque functiones ita dirigendi ut materia organica indolis et quantitatis debitae producatur, ut proin solidis partibus firmitas, fluidis plasticitas, utrisque major energiae vitalis gradus conciliétur. Indicata igitur erunt primo: solventia stimulantia, antimonialia, hydrargyracea, vel sola vel in connubio cum narcoticis. Remanenti tunc digestionis languori, chylopoësi morbidae, assimilationi languenti, debilitati musculari optime medebitur apparatu remediorum roborantium amaricantium; sed ex hoc, uti ex quovis alio medicaminum genere, semper mitiora ab initio eligenda et demum sensim ad efficaciora transgrediendum. Hinc ab initio praeprimis adhibeantur: praeparata rhei, fel tauri, radix gentianae, colombo, cortex quassiae, nupta aromaticis, uti: calamo aromatico, cortici cinnamomi, nuci moscatae, baccis lauri, corticibus aurantiorum etc.

Atoniae systematis irritabilis et habitui morboso optime sequentia opponuntur: glandulae tostae quercus, infusum vel decoctum radicis caryophyllatae, cinchonacea et tandem martialia, inchoando cum tinctura martis pomata, vino martiato, floribus salis ammoniaci martialibus, denique transgrediendo ad efficaciora, sicuti limaturam ferri et ejus sulphatem.

Mentio adhuc facienda trium medicaminum: radicis nempe rubiae tinctorum, radicis

lapathi acuti et acidi phosphoriei diluti; sed quodvis horam, contra hunc gravem morbum in usum tractum, raro suffecisse compertum habemus.

Complicatio hujus morbi cum scrofula vindicat usum alcalium fixorum, saponis medicinalis, lixivae et sodae aceticae, barytae mariaticae, cupri, ononidis, dulcamarae etc., in genere methodum solventem simulque vasa lymphatica stimulantem.

Superest adhuc quarta indicatio, eaque summi momenti, cutis nempe functionem normalem restituendi, huicque indicationi optime satisfit per curam (sic dictam) externam, quae praecipue tunc in usum vocatur si cum debilibus, qui non ferunt, aut cum pertinacibus, qui respunt ore ingerenda medico agendum.

Ad hanc curam nunc spectant; balnea, lavacra, perfricationes, inunctiones, usus aromaa calefactae, thermae siccae etc.

Balneorum salubrem in rhachitide usum plurimi laudant medici, et quidem balneorum substantiis aromaticis, salibus alcalinis vel etiam ferro gravium. Favente autem nonnisi tempestate, caeloque sereno sunt adhibenda, sacus melius conducit aegros vino aut vini spiritu aqua dilutis, meris, aromate vel camphora impraegnatis lavari, et pannis, fumo aethereo (juniperi, masticea, myrrhae, styracis) imbutis sedulo perfricari.

. Linimenta et inunctiones stimulantes et

roborantes, et quaecumque aliae, ab auctoribus laudatae, cuti infantum minus conveniunt.

Quod si sub decursu oriantur ossium inflammationes, sub spinae ventosae aut podarthrocacis forma comparentes, quae topicis nonnisi remediis usum concedunt, therapia antiphlogistica in usum trahatur; adplicentur parti adfectae hirudines, cataplasmata emollientia, vesicantia, unguentum cinereum, vel aliquod linimentum volatiliter stimulaus; quibus autem non sufficientibus, adplicentur fonticuli, et ultimo cauterium tentare licet. Laudatur hic etiam acidum phosphoricum, decocto quodam tonico exceptum, et ulceribus fistuloso-cariosis syringa injectum.

In tollendis deformitatibus et incurvationibus ars parum valet, et quod praestare potest, tantum per assiduum machinarum chirurgicarum usum praestat, quarum uberior expositio ad forum Chirurgiae pertinet. Quoad curam prophylacticam haec solum restringitur ad fugam omnium momentorum causalium, quae rhachitidis evolutioni quam maxime favent, nec non ad usum eorum remediorum, quae efficientiae vitali novum adjungunt vigorem.

Prognosis.

Rhachitis quidem non adeo infensa est vitae ipsae, sed relinquit interdum deformitates, quae per integram vitam durant. In genere in

statuenda rhachitidis prognosi, medicus non tantum momenta causalia sed et aetatem, gradum morbi nec minus conditiones vitae, sub quibus aeger versatur, sicuti morbos rhachitidi subsequos coram habeat oportet.

Triste praesagium est: si morbus infantes tenerrimos corripit, si gradus morbi est gravior, si fracta naturae vis medicatrix non sufficit ad promovendam bonam crisim, si morbus jam ultro quintum annum durat, et per hereditariam dispositionem inductus erat, denique si alii adhuc morbi superveniunt.

Rhachitis e contra non multum limites transgressa, sub bona adhuc constitutione infantili, si medela et diaeta congrua in exordio morbi jam non fuit neglecta, sicque circumstantiae aliae faventes accedunt; rhachitis ab aëris aut victus solummodo vitio orta, variolas aut scabiem, aut alias cutis efflorescentias subsequas habens, nec cum tanta ossium spinaeque dorsi incurvatione et motus impotentia conjuncta, faciliorem recipit medelam; imo lubentissime in sanitatem terminatur.

THESES DEFENDENDÆ



1. *Quandiu infans a matre sana lactatur, nec aliis simul nutrimentis abutitur, non fit rhachiticus.*

2. *Organica functio quae in utroque sexu generationi praeest est secretio.*

3. *Graviditas status phlogosi physiologicae similis censendus.*

4. *Antidota quae in veneficio chemica virtute agunt nullius ferme utilitatis sunt.*

5. *Formula nimis composita dubium de firmitate diagnoseos movet.*

6. *Auditus hallucinationes facilius ac illae visus ad vesanias ducunt.*

7. *Medicus nil faciendo optimum nonnunquam facit.*

8. *Vires dare difficile; facile adimere.*

9. *Auxilia therapeutica, quae bono cum successu in rhachitide adhibentur, illius indolem inflammatoriam perspicue declarant.*

10. *Remedia anthelmintica, quae frequentius adhibentur saepissime morbum exasperare valent.*

